

latino Sociorum nomini tribuentes, quod à publicis hisce scholis acceperunt, convenientissimum rati Patriæ, ac sibi eo de loco appellari, unde nihil invidiæ, solumque literarum, & antiquitatis amorem præferrent.

Accessit ad hæc præsidia novum alterum splendidissimum, & perficiendæ rei maximè necessarium ab Excellentissimo Comite HIERONYMO COLLOREDO eximiâ Cæsaris providentiâ moderandis Insubrum rebus iterum dato, cujus in administranda publica re prudentiam, privatorum justitiam, & levandis pauperum miseriis pietatem, sola Mediolanensium felicitas justis laudibus exæquarit: commerciis enim civium universorum commodo restitutis, labentibus in dies artibus reparatis, ac literis vel domestico nobilissimæ familiæ exemplo expolitis, cultisque, sentiet æternùm Insubria in Colloredo nomine CÆSARIS beneficentiam. Audiverat ille ab Excellentissimo Comite CAROLO ARCHINTO meum de edendis hisce scriptoribus consilium, eoque lætatus, inde me de inita societate verba facientem benignissime accepit, lætisque precibus sociali nomine datis, paratos jam typographorum labores in suam suscipere tutelam non dedignatus, ne quid ultra desiderandum superesset, aptissimum locum in ipsis regiis ædibus dedit, præsentiaque suæ omine felicissimo prospera cuncta est auspiciatus.

Eaque